

910 Tempora preterita temere deperdita: nemo

Forte quis amissas res rehabere potest.

Improba lusorum spes votum fallit eorum:

Iacturam geminat, pro lucris damna propinat.

Inter ludentes et ludum conspicientes

915 Est sermo multus, risus¹ cum murmure stultus,

Garrulus insultus, iniuria, preda, tumultus.

Lucem lusores perdunt et lucis honores:

Culpe cultores non cessant perdere mores.

Mentibus indoctis rumpendo silentia noctis

920 Ludunt sepe rei, quibus est lux curta diei.

Ludunt, in ludo colludunt, arte dolosa

Ignaros ludi ludificare student.

Quidquid habent seque devastant nocte dieque:

Propria consumunt et consumendo resumunt.

925 Spe restaurandi deperdita sepe nefandi,

Dum spoliare putant, spoliantur; tempora mutant

Et loca, prodesse quasi possint hec vel obesse;

Infringunt pacta communi² federe facta.

Perdentes stringunt dentes, mendatia fingunt;

930 Que sunt vera, negant, a se bona cuncta relegant.

Dum temere ludunt, ad ludi iurgia trudent

Ludere nolentes, nisi ludant, despicientes;

Laudant ludentes ludi laudes recolentes.

Ad mala precipites faciunt insurgere lites.

935 Non contemplantur³, non pugnant, non operantur;

Non compunguntur, nec passis compatiuntur;

Crimina non plorant, sed multiplicare laborant.

Non est ludendum, set⁴ in hac brevitae dolendum:

Nunc est spargendum, post mortem sparsa metendum.

S. 75. Exortatio ad mulieres fugiendas⁵.

Delicias homo despicias, si vivere queris!

2430 Blandicias ac spurcias fugias mulieris!

Si foveam queris mulieris, ab hoste teneris;

Si semel obtuleris te sibi, sponte peris.

Forma puellaris gemmis circumdata claris

Rete fit ignaris animabus, noxia caris.

2435 Sollicitatores Veneris paciendos labores,

Fecis amatores perdunt virtutis odores.

1) Aus 'mersus' durch Radieren korr. 2) 'comuni' Hs. 3) 'comt-' zu 'cont-' korr. 4) 's;' Hs. 5) 'fugiendas' nachträglich mit schwarzer Tinte zugefügt.